

Header

*EPISTOLA LEONIS PPAE AD FLAVIANUM CONSTANTINOPOLITANUM
EPISCOPUM, UBI QUAERIT QUOD EUTICES CONTRA FIDEM CATHOLI-
CAM SENTIENS A COMMUNIONE ECCLESIAE AB EO FUERIT SEPARATUS*

DILECTISSIMO FRATRI FLAVIANO EPISCOPO, Leo episcopus.

5 *Cum christianissimus et clementissimus imperator sancta et laudabili fide pro
ecclesiae catholicae pace sollicitus ad nos scripta transmiserit de his, quae apud
nos perturbationis strepitum commoverunt, miramur fraternitatem tuam, quic-
quid illud scandali fuit, nobis silere potuisse, et non potius procurasse, ut pri-
mitus nos insinuatione magis tuae relationis instrueret, ne de rerum gestarum
10 fide possemus ambigere.*

*Accepimus enim libellum Euticetis presbiteri, qui se quaeritur accusante Euse-
bio episcopo inmerito communione privatum, maxime cum evocatum se adfuisse
testatur nec sui presentiam denegasse, adeo ut in ipso iudicio libellum appellatio-
nis se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, ut
15 contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponeret. Quibus rebus
intercedentibus necdum agnoscimus qua iustitia a communione ecclesiae fuerit
separatus. Sed respicientes ad causam facti tui nosse volumus rationem, et usque
ad nostram notitiam cuncta deferri, quoniam nos, qui sacerdotum domini matura
volumus esse iudicia, nihil possumus incognitis rebus in cuiusquam partis pre-
iudicium definire, priusquam universa, quae gesta sunt, veraciter audiamus.*

*Et ideo fraternitas tua, per idoneam maxime aptamque personam, plenissima
nobis relatione significet, quid contra antiquam fidem novitatis emergerit, quod
severiori sententia dignum fuerit vindicari. Nam et ecclesiae moderatio et reli-
giosa piissimi principis fides multam nobis sollicitudinem Christianae pacis indi-
cant, ut amputatis dissensionibus fides catholica inviolata servetur et his, qui
25 prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate quorum fides probata
fuerit muniantur. Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas affferri, cum memora-
tus presbiter libello proprio sit professus paratum se esse ad corrigendum, si
quid in se fuerit inventum quod reprehensione sit dignum. Decet enim in talibus
30 causis hoc maxime provideri, ut, sine strepitu concertationum, et caritas custo-
diatur et veritas defendatur, frater karissime. Et ideo, quia dilectio tua de tanta
causa nos videt necessario esse sollicitos, quam plenissime et lucidae universa
nobis, quod ante facere debuit, indicare festinet, ne inter adsertiones partium
aliqua ambiguitate fallamur et dissensio, quae in suis initiis abolenda est, nutri-
atur, cum in corde nostro ea observantia Deo inspirante permaneat, ne constitu-
35 tiones venerabilium patrum divinitus roboratae, et ad soliditatem fidei pertinen-
tes, prava cuiusquam interpretatione violentur.*

Deus te incolumem custodiat, frater karissime.

16 qua] corrected from quia 33 debuit] omitted

2 QUOD: QUID Hispana 4 EPISCOPO: Ps. Isidore, from Rusticus (Paris 11611): H
omits episcopus: Ps. Isidore, from Rusticus (Paris 11611): H omits 9 magis: Ps. Isidore, from
Rusticus (Paris 11611): H omits